



Pastoralis Sollicitvdinis, Sive De Officio, Et Potestate Episcopi

Tripartita Descriptio. Cvivs Pars Prima Episcoporum institutionem, ...
Secvnda Quicquid ad Episcopi est potestatem, ... Tertia Quod ad casuum
reseruationem, ... Methodo Noua, & expedita complectitur

Pastoralis Sollicitvdinis, Sive De Officio, Et Potestate Episcopi

Barbosa, Agostinho

Parisiis, M.DC.XXV.

Glos. 7. Ornatum

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98615](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98615)

viriliter ſuſtineat; ſeruiore autem, vt nullis capia-
tur voluptatibus, nullis illecebris eneruetur, iam
non ſibi viuere ſtudent, ſed ei, qui pro eo mortuus
eſt. Cum infirmatibus, vratur cum ſcandalizatis, ſiat
etiam (ſi oportet) Iudaïs Iudaïs, cum Iob ſit fra-
ter draconum, & ſocius ſtrutionum, non ti-
meat pro fratribus cum Moyſe deleri de libro
vitæ, & cum Paulo anathema eſſe à Chri-
ſto.

15 Sexto ex eadem prudentia ſiuit, vt Episcopos
circa collationem beneficiorum præcipue curato-
rum, & ſpiritualium officiorum debitam abhibeat
ſolicitudinem, & vigilantiam, cum eorum ſit tan-
tum diſpenſator, iuxta illud noſtri *Apoſt. 1. ad Corin-
th. 4.* Sic nos exiſtimet homo, vt miniſtros Chriſti,
& diſpenſatores miniſteriorum Dei. Ideo præ oculis
habere debet illud. 1. *ad Timoth. 5.* Teſtificor coram
Deo, & Chriſto Ieſu, & electis Angelis, vt hæc
cuſtodias ſine praiudicio (ideſt, ſine præcipitatione
iudicij) nihil faciens in alteram partem declinando
(ideſt nihil agens præcipitanter) manus cito nemini
impoluſeris, neque communicaueris peccatis alie-
nis. Vacante igitur beneficio orandum eſt. Oſtende
Domine quem elegeris, &c. *Aſt. 1.* Tu Domine
noſtri, quod in hac diſtributione ego proſuſ nolo
attendere ad carnem, & ſanguinem, ſed eligere
miniſtrum tibi fidelem, & medicum vtilem anima-
bus tuo ſanguine redemptis. Animaduerte Paſtor
vigilantiſſime quomodo *Luce 6.* pernoctauit Do-
minus in oratione, & mane elegit Apoſtolos. Eli-
ge, vt commendat *Bernard. ad Eugenium lib. 3.* vi-
ros probatos, non probandos: quia in curia po-
tius deſiciunt boni, quam meliorentur mali. Allu-
me potius cunctantes, & reuoluentes, quam vo-
lentes, & currentes. Compelle illos intrare, qui
præter Dominum timeant nihil, nihil ſperant niſi à
Domino: in cunctis bene morati; qui ſint in con-
ſilio prouidi, in iubendo diſcreti, in diſponendo
indultri, in agendo ſtrenui, in loquendo mode-
ſti, in aduerſitate ſecuri, in proſperitate deuoti, in
zelo ſobrij, in miſericordia non remiſi, in otio
non otioſi, in conuiuium non effuſi, in cura rei
familiaris non anxij: qui quod verècundè excuſant,
obſtinatius non recuſant: qui vulgus non ſper-
nant, ſed doceant: diuites non palpent, ſed ter-
reant: pauperes non grauent, ſed foueant: qui
orandi officium generent, & in omni re plus ſcient
orationi, quam ſuæ induſtriæ, vel labori: qui ſe
amabiles præbeant, non verbo, ſed opere: ſe re-
uerſos exhibeant, ſed actu, non faſtu, qui humiles cū
humilibus, duos dure arguant, malignantes coer-
ceant, reddant retributionem ſuperbis: qui non
de dote viduæ, & patrimonio Crucifixi, ſe, vel ſuos
ditare ſeſtinent.

16 Vigilantia, & ſolicitudo ab Episcopis non
ſolum in diſtribuendis beneficijs, ſed in omnibus
ad ſuum munus pertinentibus magnopere requi-
ritur, vt ex varijs Sacrarum litterarum locis clare
dignoscimus. Nam in *Actibus Apoſtolorum* dici-
tur c. 20. Attendite vobis, & vniuerſo gregi,
in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Episcopos re-
gere Eccleſiam Dei. Et paulo poſt. Propter quod
vigilate, &c. Et *Apoſt. noſter 2. ad Timoth. 4.*
Tu vero vigila, in omnibus labora, miniſterium
tuum imple. Et ad *Roman. 12.* poſtquam officia ſin-
gulis Eccleſiæ gradibus conuenientia enumerauit,
Episcopo tribuit præ omnibus nominatim ſolici-

tudinem, dicens. Qui præeſt in ſolicitudine. Et
ad *Philip. 2.* ait quod Timotheus ſincera affectio-
ne ſolicitus erat pro illis. Et ad *Hebr. 13.* Obedite
præpoſitis veſtris, ipſi enim peruigilant pro anima-
bus veſtris.

17 Aduertendum denique duxi etiam ſecularium
negotiorum oportere Prælatos peritiam habere,
cum ſubditis ſuis non ſolum ſpiritualia, ſed etiam
carnalia ſubſidia miniſtrare debeant, exemplo
Chriſti, qui turbas ſequentes non ſolum verbo
docebat, ſed etiam virtute ſanabat, & corporali-
bus alimentis reſciebat. Vt autem Prælati hæc
omnia plene poſſint perficere ſecularium nego-
tiorum oportet eos habere ſolertiam, vt eorum
cautela, & Eccleſiæ ſeruentur indemnes, & cui-
que neceſſaria pro ſuo modo miniſtrentur. Vnde
Gregor. ſcribens Clero, & nobilibus Ne apol. lib. 8. epiſt. 40. relatus in *cap. Petrus 39. diſt.* ſic ait,
Petrus Diaconus, quem à vobis electum aſſer-
tis, omnino (vt dicitur) ſimplex eſt, & nobis,
quia talis hoc tempore in regiminis debet arce
conſtitui, qui non ſolum de ſalute animarum,
verum etiam de extrinſeca ſubiectorum vtili-
tate, & cautela ſciat eſſe ſolicitus, &c.

SVMMARIVM.

- 1 Gratiſ debet eſſe in inceſſu Episcopi, vt ſcilicet
raro, & moderato grefſu incedat.
- 2 Honeſtas debet eſſe in habitu Episcopi, vt non ſint
veſtes inſeſe, aut diuerſo colore.
- 3 Munditia adhibenda eſt non oliſa, nec exquiſita
nimis.
- 4 Veſtitus non debet eſſe affectatus, ſed naturalis, &
ſimplex.
- 5 Religio non eſt in habitu, ſed in corde.
- 6 Indumenta mollia animi molliem indicant.
- 7 Episcopi nec fulgidis, nec ſordidis veſtibus ſe ornare
debent, ſed inter vtrumque medium quoddam eſt capien-
dum.
- 8 Comarum, aut veſtium extra neceſſitatem cu-
ram gerere, vel inſelicum eſt, vel iniuſtorum.
- 9 Episcopi ſupellex qualis eſſe debeat, oſtendit-
tur.
- 10 Hoſior non cultu veſtium non equorum faſtu, non
ampliſ adificijs, ſed grauitate morum, & actuum hone-
ſtate cognoscitur.
- 11 In veſtibus non eſt gloriandum cum eas vermes & gi-
gnant, & perdant.
- 12 Prælatum declinare ad auſteritatem vite in menſa,
veſtibus, & numero ſeruatorum, expeditius, & effi-
cacius eſt.
- 13 Pompa in faſtu plus ſcandalizat homines ſeculi,
quàm edificat.
- 14 Eccleſiæ auctoritas non conſiſtit in faſtu Præ-
lati.
- 15 Honori reuerentia debetur, non diuitijs, & veſti-
bus.
- 16 Moyſes Iſraelitici populi Princeps in veſtitu, victu-
que quotidiano nihil faſti, ſed ſimplicitatem, frugalita-
temque priuati hominis exerceuit.
- 17 Ethnici Princeps parei, & ſine faſtu vixerunt.
- 18 Sanctus Martinus factus Episcopus eandem in veſtitu
vilitatem habebat, quæ apud ſe prius fuerat.
- 19 Sanctus Auguſtinus eſus fuit frugali, & parca menſa.

20 *Sanctus Basilus viciu, & cultu fuit abstin-*
entissimus.

21 *Sanctus Exuperius vestitu moderato usus fuit.*

22 *Temporum diuersitas non mutat fortunam pauperum,*
aut mores hominum.

23 *Refertur Concil. Tridentin. sessio. 23. de reformat.*
cap. 1.

ORNATVM.

GLOS. VII.



ON solum Episcopus debet esse ornatus in interioribus, quæ consistunt in virtutibus, & vitæ sanctimonia, vnde inquit *Hieronym. ad Neapolitanum.*

1 Vis scire quales Deus quærat ornatus, habeto iustitiam, temperantiam, prudentiam, fortitudinem: nihil enim hoc monili pretiosius, nihil hac gemmarum varietate distinctius, hæc enim ornamenta tibi sunt & scuta. Sed etiam in exterioribus, quæ consistunt in quatuor videlicet cibo, & potu, de quibus egimus allegat. 5. & in incessu, & habitu, de quibus agemus in præsentia.

2 In incessu debet esse grauitas, vt scilicet raro & moderato gressu incedat, vt sic grauitate itineis ostendat grauitatem mentis.

3 In habitu debet esse honestas, vt non sint vestes incisæ, vt ioculatorum, aut diuerso colore, vel non aptæ religioni clericali fucata: dummodo nec fulgidis, nec sordidis se vestibus ornet. Nam, vt ait *Cicero libro primo Offic.* adhibenda est mundicia non odiosa, neque exquisita nimis, tantum quæ fugiat agrestem, & inhumanam negligentiam.

4 Eadem ratio habenda est vestitus; in quo, sicut in plerisque rebus, mediocritas secundum *S. Ambros. libr. 1. Offic. cap. 19.* in eo posita est, vt vestitus non sit affectatus, sed naturalis & simplex; neglectus magis, quam expetitus, vt honestati vel necessitati nihil desit, nihil accedat nitenti. Comptuli igitur Ecclesiastici parum estimantur pudici, sibi que probro sunt & ignominia. Parem, ait *Sanctus Cyprianus libro de habitu virginum*, se integritas in omnibus præstet, nec bonum corporis cultus infamet.

Mundi pompis & delitiis iam tunc renunciauimus, cum meliore transgressu ad Deum venimus. Ornamentorum, ac vestium insignia, & lenocinia formarum non nisi prostitutis & impudicis sceminis congruunt. Et nullarum ferè pretiosior cultus, quam quarum pudor vilis est. Nitens cutis, ait *Sanctus Hieronymus epistol. quadragesima septima, cap. 3.* sordidum ostendit animum. Et *Sanctus Bernardus in apologia ad Guillelm. Abbatem. Apostolus* (ait) ita loquitur 1. ad *Timoth. 6.* habentes victum & vestitum his contenti sumus. Nobis autem est pro victu satietas, nec vestitum appetimus, sed ornatum. Quaritur ad induendum non quod vilius, sed quod subtilius inuenitur: non quod repellat frigus, sed quod superbire compellat; non denique, iuxta regulam, quod vilius comparari potest, sed quod venustius, imò vanius ostentati. Quis de seculo, quantumlibet hono-

ratus, etiam si Rex, etiam si Imperator ille fuerit, non tamen nostra horrebit indumenta, si suo sibi modò preparata fuerint & aptata. Cæterum in habitu, inquit, non est religio, sed in corde, bene; ex cordis thesauro sine dubio procedit quicquid foris apparet vitiosum.

5 Vanum cor vanitatis notam ingerit corpori, & exterior superfluitas, interioris vanitatis indicium est.

6 Mollia indumenta animi molliem indicant. Non tanto curaretur corporis cultus, nisi prius neglecta fuisset mens inculta virtutibus. Quod vero non solum vanitatis, sed etiam superbie sit pretiosis indui vestibus, colligit *Sanctus Gregorius com. 14. in Euangel.* dum ait. Quod pro sola inani gloria vestimentum pretiosius quaeritur, res ipsa testatur: quia nemo vult ibi pretiosis vestibus indui, vbi ab aliis non possit videri. Quod pertinet illud Socratis ad Xantippem coniugem singularem se veste induentem vt ad pompam spectandam prodiret, dictum. Hanc inquit, non spectandi causa, sed potius vt specteris, habes, sicut habet *Aelian. in lib. de varia hist.*

7 Quare Episcopi nec fulgidis, nec sordidis vestibus se ornare debent, sed inter vtrumque, medium quoddam est capiendum, quod eleganter describit *Sanctus Hieronymus epistol. secunda ad Nepot. cap. 11.* Vestes pullas æque deuota, vt candidas: Ornatus & sordes pari modo fugienda sunt, quia alterum delicias, alterum gloriam redolet. Non absque amictu linco incedere, sed pretium vestrum linearum non habere laudabile est. Alioquin ridiculum, & plenum dedecoris est referre marisupio quod sudarium, orariumque non habeas gloriari. Quod monet & *Eusebius epistola secunda, cap. 12.* Vestis, ait, nec satis munda, nec sordida, & nulla diuersitate notabilis: ne ad te obuiam prætereuntium turba consistat, & digito monstreris. Vnde de *S. Augustino pseudius Calamensis Antistes* ita scribit in eius vita *cap. 22.* Vestis eius, & calciamenta, & lectualia ex moderato & competenti habitu erant, nec nitida nimium, nec abiecta plurimum: quia his plerumque vel iactare se insolenter homines solent, vel abicere, ex vtroque, non quæ Iesu Christi, sed quæ sua sunt iidem querentes. At iste Beatus, vt dixi, medium tenebat, neque in dexteram, neque in sinistram declinans.

8 Id sapienter docet *Sanctus Basilus homilia vigesima quarta*, quæ est de legendis libris gentilium. Commarum, inquit, aut vestium extra necessitatem curam gerere, vel infelicitum est, vt ait *Diogenes*, vel iniustorum. Nam cincinnatum & comptum esse atque appellari æque turpe censendum assero atque impudicum esse, aut alienis nuptiis insidiari. Quid enim apud eum, qui sapit differre potest tenuem, sumptuosamque vestem induere, an vilem ferre: modo satis hæc ad frigus, caloremque attendendum fuerit. Et ad hunc modum etiam in reliquis quicquid necessitatis usum excedit vitandum, neque corpori plus ornatus dandum est, quam quantum animæ profit. Nam viro generoso, & vere hac digno appellatione non minus fuerit probum lasciuie onerari, aut corporis curam superuacuum gerere, quam alia aliqua nota, seu affectu prauo per ignauiam affici. Omne namque studium adhibere, vt corpus quam optime se habeat, sese cognoscentis non est. Neque sapiens illud præceptum

intelligentis, nos admonens quemadmodum non in quod aspicitur, est homo. Excellentem enim quam opus est sapientia per quam nostrum quilibet (quicumque sit sese cognoscat: quæ profecto mente minime purgatis non magis euenire potest, quam lippienti solam aspicere. Hanc vero animæ purgationem, ut semel, & quod vobis satis sit dicam, voluptates per sensus eripiunt.

9. Hæc supellex Episcopi nihil aureum, aut argentum contineat, nil in ea auro vel argento ornatum existat, vel serico distinctum, absit colorum varietas: aulaea, vel tapetia nil acutis pictum, vel varie contextum, nec studiose elaboratum, ut plura sit artificia, quam res ipsas mensa simplici corio, vel panno sternatur, signa, & tabulae profanæ reiiciantur, nec thalami ad usum hospitum pretiosius ornati, quam reliqua domus existat, equi tantum necessarii alantur; in ædificiis omnem luxuriam, picturas, & inania ornamenta, ac delicias euiet, nil demum in eius domo sit, nisi purum & simplex, quod Dei zelum, & rerum seculi contemptum præ se ferat. Consuetudinis tamen loci ratio habenda est, ne dignitas Ecclesiastica vileſcat. *cap. Episcopi 80. distinet.* maxime ubi Episcopi etiam Principes temporales sunt, vel Cardinales.

10. Vnde sanctus Bernardus ad Episcopum Londonien. *epistol. vigesima quarta*, sic ait. Non licet tibi de facultatibus Ecclesiæ luxuriari, & in superfluitatibus consumere: sed solum vivere: non licet ditari: non licet consanguineos extollere: non licet palatia ædificare. Denique quicquid præter necessarium victum, ac simplicem vestitum de altario retines, tum non est, rapina est, sacrilegium est. Et Chrysostom. *homil. decima quinta ad Timotheum*, sic ait. Ego audacter dixerim Ecclesiæ Præsules nihil præter victum, & vestitum habere oportere, ne ad ista trahantur desiderio. Honorificabimus autem (inquit Bernardus *epistola vigesima octava*) non cultu vestium, non equorum fastu, non amplius ædificiis, sed gravitate morum, maturitate consiliorum, actum honestate, studiis spiritualibus, & operibus bonis. Pastores enim pompatum sæculi sectatores destruunt illud Ecclesiæ encomium *Cantic. 1.* Nigra sum, sed formosa, nolite me considerare, quod fusca sum: quia decoloravit me sol: id est Christus, quod ad litteram significat Ecclesiæ esse exterius quidem nigram ob Crucis mortificationem, & contemptum externi fulgoris, interius tamen formosam propter donorum celestium puritatem.

11. Vos o Præsules de vestibus ne gloriemini, tinea huius vos gloriæ voluptate priuabunt. Videte quam incerta, quamque instabilis sit præsentis vitæ gloria; gloriantur gentes in re quam vermes, & gignunt, & perdunt, ut ponderat Religiosissimus P. Fr. Dominicus de Iesu Maria in *il sententiario spirituale parte prima, cap. 5. numer. septimo*. Igitur si Sanctorum Conciliorum decreta veneramini, illud imprimis decretum *Concilii Carthagi. 4.* (cui Beatus Augustinus interfuit) in imo corde defigite, ubi sic habetur. Episcopus vilem supellectilem, & mensam, ac victum pauperem habeat, & dignitatis suæ auctoritatem fide, & vitæ meritis quærat, & in *Concil. Tridentin. sessione vigesima quinta de reformation. cap. 1.* ita cautum est. Episcopi modesta supellectili, mensa, ac frugali victu contenti, ca-

ueant ne in tota eius domo aliquid appareat quod non simplicitatem, Dei zelum, ac vanitatum contemptum præ se ferat. Hoc sequendum est documentum, & antiqua Sanctorum Patrum in hac re exempla, ita ut damnanda sit eorum singularitas, qui audacter documentis, & exemplis antiquorum Patrum contradicunt, allegantes oportere temporari servare, quasi Spiritus Christi, & Evangelica norma mutari debeat cum tempore, ac opinionibus, & affectibus hominum servare, cum potius omnia tempora sint Evangelicæ institutioni conformanda, & iuxta normam Evangelicæ atque Apostolice Spiritus reformanda.

12. Quoniam Ioannes Gess. in *secunda parte suorum operum* collegit egregium opusculum, cuius titulus est de temperantia, & modestia Prælatorum, in quo multa scitu dignissima ad hoc institutum refert, & ab eo in unum collegit utilissima noster Præsul insignis sanctitatis, & spectatæ virtutis vir Dom. Fr. Bartholomæus à Martyribus, operæ pretium existimavi paucissimis verbis summam illorum comprehendere. Statuunt igitur hanc conclusionem. Expedientius, & efficacius est Prælatus declinare ad austeritatem vitæ in mensa, vestibus, & numero servitorum, & reliquis pertinentibus ad statum suum, quam hominibus secularibus in talibus conformari. Quam quidem conclusionem multis probant, & duo, quæ potissimum Prælatos ad illam non sequendam movere poterant, in medium adducunt, illisque suo ordine eleganter respondent.

13. Non igitur spiritualis profectus subditorum potest Prælatos huius temporis movere, ut ab illa discedant conclusionem, quia constat hæc ratione eos nihil proficere, cum huiusmodi pompa plus scandalizet homines sæculi, tam Principes, quam alios homines, quam ædificet. Ex hoc enim concitantur ad murmuracionem, invidiam, cupiditatem, indignationem, &c. Habent enim ex præcepto Beati Petri, *cap. 5.* Non dominantes in clero, sed forma facti gregis ex animo. Vnde propter hoc tenentur esse forma humilitatis, & sobrietatis. Viventes autem fastuose, potius sunt forma ambitionis, cupiditatis, vanitatis; dum hoc ipso subditos suos ad similia compellunt. Exemplum enim Prælatus quodammodo cogit ad similia, iuxta illud *Pauli ad Petrum ad Galat. 1.* Tu cogis gentes iudaizare, &c. Sed quorsum attinet ad hoc scripturas allegare, cum experientia hoc ipsum evidenter clamet? Nam vnde tanta devotio Principum, & aliorum secularium ad antiquos Prælatos, tantaque reverentia, nisi quia tales pompas vilipendebant? tum etiam quia videbant eos esse fideles dispensatores bonorum Ecclesiasticorum, largissimè eis communicabant divitias suas.

Postea vero videntes eos in pompis eas consumere, non solum retraxerunt manum, ipsa etiam Ecclesiastica bona inuaserunt. Sed ut excusentur forte dicent. Sic vivimus, ut conformemur iis, quibus vivimus. Ad hoc respondet noster *Apostolus ad Roman. 12.* Nolite conformari huic sæculo, &c. Nec deferendum est malignantibus, quia, ut inquit *Plutarchus in aphor.* regium est audire male cum feceris bene, & *Salust.* à laudatis laudari, & ab improbis improbari æqua laus est, & *Mim.* Malis displicere laudari est. Nondum felix est, iungit ille, ut

nondum te turba deridet. Et ideo de se ipso suam beatitudinem attribuens dicebat *Seneca de vir. beat. capit. vigesimo tertio*. Mihi (quod argumentum est recti) contigit malis displicere. Dicunt etiam. Sic vivimus ne inter alios erubescamus, cui respondetur quod non erubescenda humilitas Christi, neque vilitas, quae propter eum sustinetur. Dicunt deinde. Sic vivimus ne reputemur avari, & hypocritae, si fuerimus in talibus ceteris pariores.

Haec ratio vim haberet aliquam, si non esset alius modus rationabilior, & iustior, per quem à cordibus hominum hanc opinionem euellerent. Verissimum enim est oportere Praelatos amovere debere à se suspicionem avaritiae, & hypocrisis, cum debeat proximis bonam famam, sicut Deo bonam conscientiam. Vnde fateor quod si Praelatus parce vivit, & nihilominus mille modis extorquet pecunias, & thesaurizat, iste in dubio abominabilior est coram Deo, & coram hominibus contemptibilior, quam illi, qui splendide vivunt. Quamobrem ita vitam suam instituere debet ne avarus aestimetur, & pecunia congregator.

14 Nec etiam poterunt Praelati moveri ad hoc genus vivendi splendorem propter Ecclesiae auctoritatem, quia cum honor sit praemium virtutis, ipsi tenentur oves suas docere, ut homines praecipue propter virtutem honorent, non propter fastum, & pompam.

Vnde exquirentes honorem hac ratione docent errare oves suas, scilicet, ut putent splendorem vitae, veram esse causam honoris. Hinc Dominus *Luca 16*. dicit quod hominibus altum est, abominatio est ante Deum. *Beatus Iacob. capit. secundo*, damnat illos tanquam acceptatores personarum, qui honorant divites ob vestem fulgidam, &c. & spernunt pauperes, & *Bernardus ad Eugenium libro de consideratione*. Tu Pastor procedis deauratus tam multa circumdatus varietate. Oves quid hic capiunt? si audem dicere demonum magis, quam hominum pascua haec. Siccine faciebat Petrus? Sic Paulus suadebat? Absque his crediderunt Apostoli, & Apostolici viri posse impleri salutare illud mandatum. Pasce oves meas *Iohan. 21*. Neque enim sine Episcopali honore, & gloria Apostoli fuerunt, qui tamen dicere potuerunt *1. ad Timoth. 6*. Habentes alimenta, & quibus tegamur his contenti sumus. Et illud *Act. 3*. Argentum & aurum non est mihi, quod autem habeo, hoc tibi do. Item si Episcopi in hoc zelant auctoritatem Ecclesiae, cur suos curatos in sordibus, & abiecto statu derelinquunt; imò & aliquando nudari patiuntur. His etiam addo quod Principes, ac nobiles potius irident, quam reuerentur fastum hunc; pauperes autem minus audent ad tales accedere, ut ab eis pastum vitae suscipiant. Et videntes eos in otio, & epulis vivere, se vero egenos, & in laboribus vitam ducere, invident eis, atque detrahunt: quos si viderent in humilitate vivere, amarent, atque eorum exemplo labores suos aequanimiter ferrent.

15 Si enim ex omnium Philosophorum, & gentium communi consensu vni tantum virtuti honor, dignitas, auctoritas, & reuerentia debetur, quod virtus rerum omnium domina sit,

ac regina: quo iure magis hanc Episcopi auctoritatem promereri poterunt, quam virtutis, ac sanctitatis praestantia? Nam qui divitiis, qui vestibus, qui fastui exhibetur honor, is plane falsus, indignus, & fucatus est. Rectissime enim à *Seneca* dictum est. Non faciunt equum meliorem aurea frana, nec hominem meliorem fortunae ornamenta. Quemadmodum enim in auro & gemmis, & in ipsa etiam corporum pulchritudine cernere licet aurum aliquod verum, aliquod autem adulterum; gemmas item veras, & adulterinas; corporis etiam pulchritudinem veram, à naturae ipsa tributam, aliam vero arte, fallaciis, & fucis quaesitam: ita sane mirum nemo debet si honor aliquis, atque auctoritas vera sit, quae meritis & virtute comparatur: fucata vero alia, quam stulti & imperiti rerum aestimatores opibus & potentiae tribuunt. Quare Episcopi Ecclesiae Principes veris honorum fontibus omis, qui virtute & vitae integritate comparantur, fucatos & fallaces, qui inanissimis splendoris insignibus adipiscuntur exquirere non debent. Id enim calamitosa illa aetate sub Antiocho tyranno, quando Sacra omnia violata sunt, contigisse memorant historiae *Machabaeorum 2. c. 4*. cum Principes populi & Sacerdotes patrios honores pro nihilo habentes, Graecas glorias optimas arbitrabantur: patrij enim honores erant, qui virtuti, qui Religioni, qui Fidei, & meritis vitae reddebantur, quibus cum Sacerdotes destituti essent, ad falsos hominum titulos, nempe opes, apparatus, pompasque Ethnicorum confugebant.

16 De primo Israelitici populi principe Moyse non ab hominibus, neque per hominem, sed à Deo electo, in eius vita *Philo* Iudaeorum discretissimus *libro primo* scribens, sic ait. Solus hic omnium, qui vnum principatum gesserunt, non aurum, non argentum in thesauros condidit, non tributa exegit, non palatia, non latifundia, non greges, non famulicia, non redditus, non alias opes sibi paravit, quamvis posset habere omnium harum rerum copiam: sed existimans animae pauperis iudicium esse mirari materiales divitias, has quidem ut caecas contempsit, illas vero naturales, perspicacesque honoravit, & amavit: in vestitu, victuque quotidiano nihil praese ferens fastus tragici, sed simplicitatem, frugalitatemque exercens privati hominis. Regem autem in his solis agebat, quae vere sunt regiae: ut sunt continentia, fortitudo, sobrietas, solertia, prudentia, scientia, industria, tolerantia, iustitia, voluptatis contemptus, ad virtutem exhortatio, obiurgationes, castigationesque peccantium legitima, & recte facientium laudes atque praemia.

17 Haecenus ille. Sed ut in viro singularibus fauoribus à Deo cumulado non ita mira haec videri possint, & quae ita facile omnes imitentur eadem gratia non suffulti; videamus an & ex Gentilibus inveniri possint, qui paria quasi fecerint, & certe numerus non omnino paucus sese perferuntibus offert, nobis tamen paucos adducere satis est. Socrates sibi gratulabatur, quod iuxta naturam vivens, ac paucis assuetus, aurum, purpuram, gemmas, ebur, aulæa, reliquasque divitum delicias nec cuperet, nec egeret, quas, di-

cere ſolebat magis neceſſarias agendis tragediis, quam ad uſum vitæ *Brufon. libro quinto cap. 22.* & reſertur in theatro vitæ humanæ *tom. 1. libr. 5. pagin. 863.* Caria Regina cum ad Alexandrum Macedonem multa obſonia, ſercula opipara, coquoſque optimos miſiſſet, his haud opus eſſe Alexander Macedo dixit, cum cibo communi pane & aqua latrantem ſibi ſtomachum conciliare poſſet *Brufon. libro primo Facetiærum.* Alcámenes Telecri filius rogante quodam cur adeo parce viucret, tantas opes poſſidens? quia, inquit, qui multa poſſidet, non ex libidine, ſed ex ratione viuere debet *Brufon. libro quinto cap. vigefimo ſecondo.* Alexander Seuerus Auguſtus & Princeps orbis in conuiuiis ſuis aurum plane neſciuit. *Potam. cap. 2. de ſplendore.* Si ergo terreni illi Principes Chriſtum ignorantes, & in iſtis adhuc infidelitatis, & idololatriæ tenebris agentes ſolo rationis lumine, hoc & viderunt & ſequuti ſunt: quis ferat Epiſcopum pauperis Chriſti vices gerentem, & exemplo, atque doctrina ſua homines ad contemptum terrenorum honorum adhortantem, inter epulas, & magnifica conuiuia, interque cæteras aureas & argenteas, ſplendidæque miniſtrorum cateruas vitam agentem? Sed ne inopes exemplis ex noſtris videamur; afferre libet, quæ & multo ditiores forte nos oſtendere poſſent.

18 De Diuo Martino (quem Apoſtoliſis parem fuiſſe canit Eccleſia) in eius vita ita ſcribit *Sulpitius*. Factus vero Epiſcopus Turonenſis idem conſtantiffime perſeuerabat, qui prius fuerat, eadem in corde humilitas, eadem in veſtitu vilitas, atque ita implebat Epiſcopi dignitatem, vt propoſitum monachi non deſereret.

19 De Diui vero Auguſtini ornatu, frugalitate, & parſumonia ſcribit in eius vita *poſſidonius* in hunc modum. Menſa uſus eſt frugali & parca: quæ quidem inter olera & legumina etiam carnes aliquando propter hoſpites, vel quoſque infirmiores continebat. Coclearibus tantum argenteis vtens, cætera vaſa, quibus menſa eius cibi inferebantur, vel teſtacea, vel lignea, vel marmorea erant, non neceſſitatis inopia, ſed propoſito voluntatis. Denique morti iam proximus teſtamentum nullum fecit, quia vnde faceret pauper Chriſti non habuit.

20 De Diuo Baſilio ſic ſcriptum legimus. Erat autem Baſilius in victu & cultu abſtinentiſſimus, vna tantum tunica amiciebatur: humi cubitabat, totis ſæpe noctibus vigilabat. Demum obiit corpore per abſtinentiam conſumpto, cum oſſibus ac pelle tantum ſuperſtes eſſet.

21 De Sancto Exuperio ita ſcribit *Hieronymus epiſtol. tom. 1.* Sanctus Exuperius Tholoſæ Epiſcopus viduæ Sareptenſis imitator, cluriens paſcit alios, & ore pallente ieiuniis fame torquetur aliena, omnemque ſubſtantiam Chriſti viſceribus erogauit. Nihil illo ditius, qui corpus Domini caniſtro vimineo, ſanguinem portat in vitro. Huius ſectare veſtigia, & cæterorum, qui virtutis illius ſimiles ſunt, quos Sacerdotium & humiliores fecit & pauperes. Quid hoc exemplo mirabilis? quis non obſtupeſcat corpus Domini, quod nec iſtis quidem Angelorum manibus pro dignitate tractetur, caniſtro vimineo circumſerti?

Quo affectu ferebatur in pauperes Chriſti, qui Chriſtum tam humili vaſe circumferebat? quomodo ſuis parceret facultatibus, vt pauperes alere poſſet, qui nec iſtis quidem altaribus pepercit? quomodo ſplendidam domum, atque familiam elucentibus pauperibus aleret, qui vt algentes, nudosque veſtiret, altaria quoque ipſa nudauit? Tales ergo Præſules iſtis ſuis exciſis corporibus, iſta vitæ ſobrietate & parſumonia aduerſus mundi monarchas Eccleſiam Chriſti tutati ſunt: nos vtinam eorum labore conſeruata & aucta retineamus. Sed ad hoc certiſſima via eſt eorum inharere veſtigiiſ, quando (vt nobilis ille hiftoricus dixit) imperium eiſdem artibus retinetur, quibus initio partum eſt. Quæ ubi deſuerunt, nec ipſa quidem caput mundi Roma ſtare diu potuit: imperium enim ſummis laboribus, & inedia partum, non durus Annibal, aut crudelia bella, ſed luxus & opulencia bellis pernicioſiora diſſoluerunt.

22 Nulla poterit ſe ſucri excuſatione, qui aduerſus prædictas Sanctorum Patrum exempla temporum diuerſitatem obiciat, quia, etiamſi alicuius fortaſſe momenti eſſet ſi cum tempore, aut fortuna pauperum, aut mores hominum mutarentur, tamen cum eadem ſit pauperibus indigentia, eadem in hominibus morum corruptio, eadem ambitio, auaritia, luxus, faſtus, & intemperantia, eaſdem cauſas eodem modo ſemper operari, hoc eſt, ad idem inclinare neceſſe eſt. Non ergo faſtus faſtu, non luxus luxu, non opes opibus, non deliciis deliciis, ſed humilitate faſtus, ſobrietate luxus, paupertate auaritia, & aſperitate deliciæ ſuperandæ ſunt. Quis autem adeo mentis inops eſt, qui non videat omnia mundi vitia cum tempore adoleuiſſe: quando enim tot hæreſum monſtra Eccleſiam ita infeſtarunt, vexarunt, ac pene oppreſſerunt, quando ita luxus, auaritia, ambitio, libido, deliciæ, ludi, epulæ, ſplendor veſtium, cæteraque vitiorum irritamenta, & cupiditas ipſa (malorum omnium ſeminarium) inundauerunt? Quantum vero Eccleſiæ proceres, & miniſtri (qui his malis ferre opem debuerūt) à maioribus ſuis hoc ipſo tempore degenerarunt, ſiue probitatem ſpectare velis, ſiue docendi facultatem, ſiue eleemoſynarum largitatem, ſiue ſobrietatem vitæ, ſiue inſraſtum animum ad omnia pro ſibi commiſſo grege pericula ſubeunda? Denique ſi Diuo *Cypriano* credimus, quo mundus magis ad finem properat, eò magis velut ſenectute, ac vetuſtate conſiciente in deteriora prolapsus eſt. Sic enim ſcribit aduerſus Demetrianum. Breuiatur in dies ſingulos, & decreſcit, ac deſicit in agris agricola, in mari nauta, miles in caſtris, innocentia in foro, iuſtitia in iudicio, in amicitiiſ concordia, in artibus peritia, in moribus diſciplina. Putas ne tu tantam poſſe ſubſtantiam rei ſenſcentis exiſtere, quanta prius potuit nouella adhuc, & vegeta iuuenta pollere? Minuatur neceſſe eſt quicquid, ſine iam proximo, in occidua, & extrema deuergit. Sic ſol in occaſu ſuo radios minus claro & igneo ſplendore iaculatur; ſic declinante iam curſu exoletis cornibus luna tenuatur, & arbor, quæ fuerat ante viridis, & fertilis, aſcendentibus ramis fit poſtmodum ſterili ſenectute deformis. Et fons, qui exundantibus prius venis, largiter profluebat, ſenectute deficiens vix modico

sudore desillat. Hæc sententia mundo data est, hæc Dei lex est, ut omnia orta occidant, & acta senescant, ut infirmetur fortia, & magna minuantur, ut cum infirmata, & diminuta fuerint, finiantur. Hactenus *Cyprianus*. Si igitur cum temporibus omnia pariter mala creuerunt, maiori ergo virtute, prudentia, sollicitudine, vigilantia, temperatione, ac disciplina eget, quisquis tot malis corrigendis atque curandis præfectus est. Meliori enim nauclero in fauori tempestate, & peritiori medico in grauiori aegritudine, præstantioreque duce in desperata victoria opus est. Quare non habet quisquis fastuose viuunt, & quotidie splendide epulatur, magnosque fantulorum greges alit, & in hoc tam magnos Ecclesiæ redditus, pauperibus profuturos, infumit, quo se illa ratione tueatur.

23 Eleganter hoc ipsum aperitissimis declarat verbis; omnemque penitus exultationis ansam præcipit *Concilium Tridentinum*, sessione vigesima quinta deformatione capit. primo, in hæc verba. Optandum est, ut ij, qui Episcopale ministerium suscipiunt, quæ sua sint partes agnoscant, ac se non ad propria commoda, non ad diuitias, aut luxum, sed ad labores, & sollicitudines pro Dei gloria vocatos esse intelligant. Nec enim dubitandum est fideles reliquos ad religionem, innocentiamque facilius inflammandos, si præpositos suos viderint non ea, quæ mundi sunt, sed animarum salutem, ac ecclesiam patriam cogitantes. Hæc cum ad restituendam Ecclesiasticam disciplinam præcipua esse, Sancta Synodus animaduertat, admonet Episcopos, omnes, ut secum ea sepe meditantes, factis etiam ipsis, ac vitæ actionibus (quod est veluti perpetuum quoddam prædicandi genus) se muneri suo conformes ostendant: imprimis vero ita mores suos omnes componant, ut reliqui ab eis frugalitatis, modestiæ, continentiæ, ac (quæ nos tantopere commendat Deo) sanctæ humilitatis exempla petere possint. Quapropter exemplo Patrum nostrorum in Concilio Carthagenensi non solum iubet, ut Episcopi modesta suppellectili, & mensa, ac frugali victu contenti sint, verum etiam in reliquo vitæ genere, ac tota eius domo caueant, ne quid appareat, quod à sancto hoc instituto sit alienum, quodque non simplicitatem, Dei zelum, ac vanitatum contemptum præ se ferat.

SYMMA RIVM.

- 1 Castitas pretiosissima omnium, maximæque possessio.
- 2 Pudicus ille est, qui non modo corpus illibatum conseruat, sed qui neque intuitu, voce, vel gestu leuitatem offendit.
- 3 Pudicitia imprimis est habenda, quæ amissa omnis virtus corrumpit.
- 4 Libido seuus criminum stimulus est.
- 5 Impudicitia quid sit, ostenditur.
- 6 Pudicitia frustra ostentatur sine temperantia.
- 7 Castitas omnibus pernecessaria, sed maxime Ministris Christi Aliarum.
- 8 Castitas dignitas magna.
- 9 Castitas hominem Deo simillimum reddit.

- 10 Apostoli excepto Petro inter castus agmen ducent.
- 11 Discipuli Apostolice castitatis emulatores fuerunt.
- 12 Paulus Apostolus perpetuum coluit calibatium.
- 13 Sanctus Cyprianus à sua conversione initio castitatem coluit.
- 14 Sanctus Augustinus vigilantissimus fuit castitatis cantor.
- 15 Sanctus Gregorius Nazianzenus in Virginitatis amorem summopere exarsit.
- 16 Virgilius Presbyter ea fuit castitate, ut nec quidem à sua muliere sibi ministrari pateretur.
- 17 Castitas sicut omnes virtutes, donum Dei est.
- 18 Continens nemo potest esse, nisi Deus det.
- 19 Castitas Dei gratia occurrente, nobis operantibus tuenda est.
- 20 Carnis afflictiones diuersis penitentia operibus sugiende.
- 21 Euaristus Presbyter hybernus noctibus in puteum se immergebat, ut carnis afflictiones effugeret.
- 22 Sanctus Franciscus nudum corpus in niuibz volutauit.
- 23 Castitatis amor in intimis animi recessibus occultari non potest.
- 24 Mulierum familiaritatem diligenter cauendam sanctissimorum hominum factis illustratur.

PVDICVM.

GLOS. VIII.

- 1 **M**AGNVS *Basilius* libr. de Virginitate repetitis, & elegantibus verbis suos hortatur, ut castitatem pretiosissimam omnium, maximamque possessionem, naturalem diuinæ effigiei pulchritudinem, quæ hominem incorruptibili Deo simillimum facit, tenere ament, ac te complectantur, caute custodiant. Et noster *Apostolus* perpetuus castimonie cultor, & laudator eximius suum amantissimum hortatur *Timotheum*, ut sit pudicus. Hanc vocem, pudicum, idest verecundum, interpretantur ibi *Anselmus*, & quidam Latini, quique nihil admittat, quod castitati vilo modo repugnet. *Tertullianus* libro de cultu seminarum, ita de pudicitia scribit. Cum omnes templum simus, illato in nos & conseruato Spiritu sancto, eius templi æditus & Antistes pudicitia est, quæ nihil immundum, nec profanum inferri sinat, ne Deus ille, qui inhabitat inquinatam sedem derelinquat.
- 2 Hoc ait Sanctus Hieronymus libro primo aduersus Iovinianum, cap. 20. significat *ov̄gēva* ornatum castitate, & moribus, ut nimirum non modo corpus illibatum conseruet, sed neque intuitu, voce, gestu leuitatem castimonie inimicam, & probrosam ostendat, quia in omni gradu, & sexu tenet pudicitia principatum. Vnde *Apostolus* *Timoth.* cap. 4. vers. 12. Esto exemplum fidelium in castitate, ut vel ex te vno discant, quam pure, & integre viuendum sit. Et cap. 5. vers. 1. cauet ut necessitatis ac monitionis tempore cum iunioribus foeminis agat, in omni castitate, hoc est, eximia mentis, aspectus, sermonis, operis puritate, vbi Sanctus *Chrysostomus* homilia decima tertia, in omni castitate.